SCRITTI INEDITI

DI

FRANCESCO PETRARCA

PUBBLICATI ED ILLUSTRATI

DA

ATTILIO HORTIS.

TRIESTE

TIPOGRAFIA DEL LLOYD AUSTRO-UNGARICO

1874.

(Dal codice Magliabechiano, Classe IX, N. 133).

Collatio edita per clarissimum poetam franciscum petrarcam florentinum rome in capitolio tempore laureationis sue.

Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis raptat amor. Georgicorum III.° Hodierno die magnifici ac venerabiles viri poetico mihi more procedendum est et idcirco propositionem meam non aliunde quam ex poeticis scripturis elicui. Insuper et ob eandem causam resecatis ad presens distinctionibus illis minutissimis quibus in theologicis declamationibus uti solent, ac favore divini nominis invocato quem ut obtinere merear salutationem illam gloriose virginis in hoc quam vis exoptato breviloquio pretereundum esse non arbitror. Reliqua quam brevissimis absolvam. Ave maria etc. Sed me parnasi deserta per ardua dulcis, raptat amor. Verba hec ab illustrissimo et omnium maximo poeta georgicorum tertio scripta sunt, quorum prima pars indicat propositi mei non facilem laborem, secunda subiungit non mediocrem studiose mentis ardorem. Primum ex eo apparet quid me parnasi deserta per ardua ubi notare oportet pro parnasi pro ardua pro deserta. Secundum ex eo quod dulcis raptat amor, ubi attendendum pro amor et pro dulcis amor et pro rapere

valens amor. Et nimirum consequens est ista connexio et alterum pendet ex altero quisquis enim per ardua deserta parnasi cupit ascendere necesse habet amare quod cupit quisquis amat ascensum ad consequendum studio quod mente diligit procul dubio preparatior est. Cum studium sine amore atque aliqua mentis magna delectatione et voluptate quadam optatos non producat effectus, ut colligi potest ex opinione illa peripathetica que eleganter tractatur a tullio tusculanorum IIII.° et patet ex diffinitione ipsius studii quod nihil est aliud quam assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluptate occupatio ut philosophie poetrie et reliquarum artium quam diffinitionem ponit idem inventionum primo. Ut ergo brevibus agam quod et pollicitus sum vobis et ut professionem meam decet, dico quod primum difficultatem s. propositi mei, tria principaliter exaggerantur. Ipsa rei videlicet natura Fortuna milii semper inexorabilis et dura et aversa ab his studiis temporum meorum cura unum verbum de quolibet. Quanta inquam sit naturaliter difficultas propositi mei ex hoc apparet quod cum in ceteris artibus studiis et labore possit ad terminum perveniri in arte poetica secus est in qua nil agitur sine interna quadam et divinitus in animum vatis infusa vi. Non mihi sed ciceroni credite qui in oratione pro aulo licinio archia de poetis loquens verbis talibus utitur. Ab eruditissimis viris atque doctissimis sic accepimus, ceterarum rerum studia et ingenio et doctrina et arte constare, poetam natura ipsa valere et mentis viribus excitari et quasi divino quodam spiritu afflari ut non inmerito noster ille hennius

suo quodam iure sanctos appellet poetas quod deorum munere nobis commendati esse videantur, hec cicero. In qua quidem eruditissimorum mentione virorum de marco varrone romanorum omnium longe doctissimo sensisse eum arbitror qui hanc eamdemque sententiam posuisse creditur in libro de poetis p.⁰ Hanc nempe difficultatem considerans satiricus ait magne mentis opus nec de lodice[1] paranda attonite currus et equos faciesque deorum aspicere et quenam rutilum confundat herinis. Hanc eandem[2] considerans lucanus in nono exclamavit O sacer et magnus[3] vatum labor. Videtur ne vobis sufficienter et idoneis testibus asserta naturalis propositi mei difficultas que quidem tanta est ut eam vincere nequeat humanus labor cum tamen in ceteris regulariter scriptum sit a poeta quod labor omnia vincit improbus georgicorum primo. Et ex hoc nimirum fonte procedunt illa ludibria usque ad extremum vite tempus inutiliter et inefficaciter in hac facultate laborantium qualia non nulla legimus in libris de scolastica disciplina et hec de primo. Secundum videlicet quam mihi fortuna fuerit semper inexorabilis et dura quantis me laboribus exercuerit ab adolescentia mea quot eius pertulerim insultus novit altissimus noverunt hii qui mecum familiariter versati sunt. Ego autem eloqui super sedeo ne diem festum lugubri sermone detineam. Quantum sane poeticis studiis

[1] Il cod.: *delo dice.*

[2] Il cod.: *eadem.*

[3] Il cod.: *magus.*

impedimentum prebeat asperior fortuna novit quisquis expertus est quod attendens satiricus non modo de comunibus poetis sed de ipso poetarum patre virgilio ausus est dicere. Nam si virgilio puer et tollerabile desit hospitium caderent[1] omnes a[2] crinibus ydri surda nihil gemeret grave buccina et iterum eodem loco sed vatem egregium cui non sit publica vena, qui nihil expositum[3] soleat deducere nec qui vulgari feriat[4] carmen triviale moneta, hunc qualem nequeo monstrare[5] et sentio tamen anxietate carens animus facit omnis acerbi impatiens cupidus silvarum aptusque bibendis fontibus aonidum nec enim cantare sub antro pyeridum tirsumve potest contingere seva paupertas atque eris inops quo[6] nocte dieque corpus eget. Et hec de secundo. De tertio nihil amplius dicam nisi quod omnes legimus et videmus, fuit enim quiddam[7] tempus fuit etas quedam felicior poetis quamdo in honore maximo habebantur. In grecia primum deinde in ytalia et presertim sub imperio cesaris augusti sub quo vates egregii floruerunt. Virgilius varus ovidius flaccus multique alii de quo tempore loquens satiricus dicebat, tunc par ingenio pretium tunc

[1] Il cod.: *cadere.*

[2] Il cod.: *in.*

[3] Il cod.: *experium.*

[4] Il cod.: *feriant.*

[5] Il cod.: *ministrare.*

[6] Il cod.: *qua.*

[7] Il cod. porta *quidam* nel testo; in margine: *vel quoddam.*

utile[1] multis pallere et vinum[2] toto nescire decembri, hodie vero ut videtis mutata sunt omnia. Res in aperto est et probatione non eget ut nunc merito dici possit quod iam tunc mutationem temporum perosus idem satiricus dicebat. Frange miser calamos vigilataque prelia dele qui facis in parva sublimia carmina cella ut venias dignus ederis et ymagine macra spes nulla ulterior didicit iam dives avarus tantum admirari tantum laudare disertos ut pueri iunonis avem sed defluit etas et pelagi patiens et cassidis atque ligonis tedia tunc subeunt animos tunc[3] seque suamque tersicorem odit facunda et nuda senectus, et hec de tertio. Hec sunt igitur illa tria quorum ex duobus primis ostenditur quam sit ardua convexa parnasi per que mihi gradiendum est ex tertio concluditur quam deserta. Dicet ergo aliquis quid est hoc amice, nunquid morem et nativa difficultate obsitum et iam pridem[4] tractu temporis abolitum renovare decrevisti adversante presertim et repugnante fortuna. Unde tibi ista tanta fiducia ut novis et insuetis frondibus capitolia romana decorares nonne vides quanti negocii susceperis scandere per ardua deserta parnasi et inaccessum musarum nemus. Video dilectissimi homines[5] video inquam romani cives hec omnia sed me

[1] Il cod.: *ultile.*

[2] Il cod.: *unum.*

[3] Il cod.: *tamen.*

[4] Così il cod. in margine; nel testo *primum.*

[5] In margine: *domini.*

parnasi deserta per ardua dulcis raptat amor ut incipiens dixi cuius amoris tanta vis est apud me ut per eum omnes has difficultates quantum ad presens propositum meum spectat aut vicerim aut vicisse mihi videar. Hinc igitur rursus secunda principalis particula premisse propositionis exoritur ex eo, scilicet quod post laborem ascendendi per ardua deserta parnasi. Sequitur mox commemoratio efficientis cause quia dulcis raptat amor. Ubi videndum quod sicut difficultatem illam ex tribus velud radicibus consurgentem ostendimus sic affectus iste animi victor difficultatis illius ex tribus quoque rădicibus exoritur, quarum prima est honor reipublice[1] secunda decor proprie glorie tertia calcar aliene industrie. Primum me pungit dum recolo quondam in hac eadem urbe roma omnium arce terrarum ut ait cicero in hoc ipso capitolio romano ubi nunc insistimus tot tantosque vates ad culmen preclari magisterii provectos emeritam lauream reportasse nunc vero morem illum non modo intermissum sed obmissum nec obmissum tantum sed in miraculum esse conversum et iam ultra mille ducentos annos obsolevisse. Si quidem post statium pampineum[2] illustrem poetam qui domitiani temporibus floruit nullum legimus tali honore decoratum. Tangor igitur ut in iam diu senescente republica romanorum renovem si deus

[1] Il cod.: *rei. p.*

[2] È noto che il nome di Papinio Stazio è corrotto di questa maniera anche in altri codici.

annuerit pulcherrimum morem sue floride iuventutis ubi illud non silebo non inanis iactantie sed veritatis gratia quod cum hiis proximis annis uno eodemque tempore romam a senatu qui tunc erat et a quibusdam proceribus romanis quorum aliquos in hoc consessu nunc ad presentes video nec non et parisius ab egregio viro magistro roberto cancellario parisiensi et a multis claris viris universitatis illius ad hunc ipsum honorem in ea civitate suscipiendum multis certatim precibus evocarer. Et ego propter presentem famam studii illius aliquandiu fluctuassem ad postremum[1] tamen decrevi huc potissimum me conferre, cur queso nisi ut virgilius ait Vicit amor patrie nec negaverim plurimum me in hanc sententiam impulisse affectum quemdam et reverentiam veterum poetarum qui excellentibus ingeniis in hac eadem urbe floruerunt hic vixerunt hic denique sepulti sunt ut enim preclare marcus tullius secundo de legibus ait. Ego tibi istam iustam causam puto cur huc libentius venias atque hunc locum diligas et sequitur Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis in quibus eorum quos diligimus aut admiramur assunt vestigia. Inde quidem ipse ille nostre athene non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant quam recordatione summorum virorum ubi quisque habitare ubi sedere ubi disputare sit solitus studioseque eorum sepulcra contemplor. Hec ille mihi autem fateor hec non ultima causa fuit romam veniendi. Ceterum quecunque sit causa adventum ipsum

[1] Il cod.: *postremam.*

et huic urbi et illi de qua[1] et universe ytalie ipsa saltem rei novitate non inglorium futurum esse confido, hec de p⁰. De secundo s. decore proprie glorie multa et varia dici possent que gratia promisse brevitatis omictam hoc unum dixisse sufficiat glorie appetitum non solum communibus hominibus sed maxime sapientibus et excellentibus viris insitum hinc est quod cum multi ex philosophis de contemptu glorie disputent nulli tamen aut pauci qui eam vere contemnerent sunt reperti quod ex eo precipue apparet quia in ipsorum librorum primordiis quos de contemnenda gloria scripserunt nomina sua inscripserunt ut ait tullius tusculanarum[2] questionum libro primo, idem coram iulio cesare in hac ipsa aula verba faciens Videte quid ait inter cetera glorie te avidissimum quanvis sapiens non negabis. Quid multa verissimum est quod alio quodam loco ait idem vix est qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam unde est illud ovidij Excitat auditor studium laudataque virtus crescit et immensum gloria calcar habet ut ergo hoc secundum cum priore coniungam[3] integrescat versus ille virgilii cuius partem dimidiam precedentibus adaptavi ut dicamus s. vincet amor patrie laudumque inmensa cupido Et hec de secundo. Circa tertium hoc est calcar

[1] S' aggiunga: *sum* o *venio*.

[2] Il cod: *tusculanorum*.

[3] Così in margine; nel testo: *coniunctum*.

aliene industrie hoc tantumodo dixerim sicut quosdam pudet per aliorum isse vestigia sic alii multoque plures sunt qui sine aliquo certo duce iter arduum aggredi reformidant quales ego multos et precipue per ytaliam novi eruditos quidem et ingeniosos viros eisdem studiis deditos eademque sitientibus animis anhelantes herentes tamen adhuc et seu verecundia[1] seu segnitie seu diffidentia seu quod suspicari malim humilitate quadam ac modestia nondum iter hoc ingressos. Audacter itaque fortassis sed non ut mihi videor maligno proposito ceteris cessantibus me in tam laborioso et mihi quidem periculoso calle ducem prebere non expavi multos post hac ut arbitror secuturis. Et hec de tertio. Sic ergo triplex illa difficultas triplici contrario superata est quo in colluctamine agilitatem quandam ingenii affuisse mihi non inficior quam ex alto mihi tribuit dator horum omnium deus ille inquam deus qui proprie dici potest magister artis ingeniique largitor ut persius ait. Post quam vero per oppositas difficultates auxiliante deo ut cumque ad optatum terminum sum provectus Reliquum est ut ex tot laboribus premii aliquid sperem veruntamen decere arbitror ut ante verborum finem pauca de poetice professionis qualitate nec non et de petendi premii conditionibus interseram. De primo duo verba sufficient. Scire decet preclarissimi viri poete offitium atque professionem quam multi immo fere omnes opinantur. Nam ut eleganter

[1] Dopo *verecundia*, leggevasi nel cod.: *seu modestia*, ma fu espunto.

ait lactantius institutionum libro p.° nesciunt qui sit poetice licentie modus quousque progredi fingendo liceat cum offitium poete in eo sit ut ea que vere gesta sunt in alia spetie obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat, totum autem quod referat[1] fingere idest ineptum esse et mendacem potius quam poetam. Hec lactantius hinc est quod macrobius super VI.° de republica secundo comentario ait his verbis Et hoc esse volunt quod homerus divinarum omnium inventionum fons et origo sub poetici nube figmenti verum sapientibus intelligi dedit, Iovem cum diis ceteris idest stellis profectum in occeanum ethiopibus tum ad epulas invitantibus per quam ymaginem fabulosam homerum significasse volunt hauriri de humore nutrimenta sideribus qui[2] ob hoc ethiopas reges epularum[3] celestium dixit quoniam circa occeani oram non nisi ethiopes habitant quos vicinia solis usque ad spetiem nigri coloris exurit. Hec macrobius. Longum esset per cuncta discurrere, sed si tempus non deforet nec vererer auribus vestris inferre fastidium possem facile demonstrare poetas sub velamine figmentorum nunc fisica nunc moralia nunc hystorias comprehendisse ut verum fiat quod sepe dicere soleo Inter poete et ystorici et philosophi seu moralis seu naturalis officium hoc interesse quod inter nubilosum et serenum celum interest

[1] Il cod.: *referas.*

[2] Il cod.: *que.*

[3] Qui manca la parola *participes.*

cum utrobique eadem sit claritas in subiecto sed pro captu spectantium diversa. Eo tamen dulcior fit poesis quo laboriosius quesita veritas magis atque magis inventa dulcescit hoc non tam de me ipso quam de poetice professionis effectu dixisse satis sit, neque enim quam vis poetarum more ludere delectet sic poeta videri velim ut non sim aliud quam poeta. Restat nunc de premio loqui et si forte non debito peroptato tamen et sperato. Id autem multiplex non ambigitur, est equidem premium poeticum imprimis glorie decus et de hoc satis est dictum. Item nominis inmortalitas, eaque duplex, prima in se ipsis, secunda in his qui[1] tali honore dignati sunt. De prima fidentissime loquitur ovidius in fine metamorphoseos. Jamque opus exegi quod nec iovis ira nec ignis nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas et reliqua usque in finem. De eodem statius in fine thebaid Durabis ne procul dominoque legere superstes o mihi bissenos longum vigilata per annos thebai, et que sequuntur usque in finem. De secunda loquitur virgilius in nono Cum[2] fortunati ambo si quid mea carmina possunt nulla dies unquam memori vos eximet evo dum domus enee capitolii inmobile saxum accolet imperiumque pater romanus habebit. De eodem statius theba. Vos quoque sacrati si quid mea carmina surgant inferiore lira memores superabitis annos. De utraque simul loquitur in nono lucanus. Venturi me teque legent pharsalia

[1] Il cod.: *quos*.

[2] S' aggiunga: *ait*.

nostra vivet et a nullo tenebris[1] dapnabitur evo. Et profecto multi fuerunt in vita gloriosi et memorabiles viri tam in scripturis quam in re bellica et quorum tamen nomina lapsu temporum contexit oblivio nullam ob aliam causam nisi quia litterati hominis que in animo habuerunt stilo mansuro et stabili commictere nesciverunt. Nam ut ait cicero tusculanarum p.° fieri potest ut recte quis sentiat et id quod sentit polite eloqui non possit nec delectatione aliqua allicere lectorem Hominis est intemperanter ab utentis et otio et licteris, et hec de veris litteratis. Fortes autem et bellicosi vel alias ethernitatem nominis promeriti in oblivionem abierunt quia non contigit eis scriptor[2] idoneus, ideo simul cum corporibus talium fama sepulta est quod eleganter ait oratius in libro carminum Vixere multi fortes ante agamenona sed omnes illacrimabili nocte premuntur et sequitur ratio carent[3] quia vate sacro, quod providentes quidam ex illustribus viris secum in magno honore habuere poetas ut esset aliquis qui eorum laudes transmictere posset ad posteros. Quam rem M. tullius in oratione prefata pro aulo licinio Archia[4] diligenter exequitur nec est aliquid miri si clari bellorum duces claros diligunt poetas propter illam regulam claudiani Gaudet enim virtus testes sibi iungere musas, carmen amat quisquis carmine digna

[1] Il cod.: *teneberis.*

[2] Il cod.: *scripto.*

[3] Il cod.: *caret.*

[4] Nel cod. si legge *Archīt.*

gerit, profecto et quantum ad mundanam gloriam pertinet verum est illud oratianum Paulum sepulte distat inhertie celata virtus Et nimirum hinc exclamatio illa est alexandri macedonis qui cum ad sepulcrum achillis venisset dixisse fertur suspirans O fortunate adolescens qui talem tue virtutis preconem invenisti homerum signans poetarum principem quem[1] achillis famam constat egregiis nobilitasse carminibus, hec hactenus. Sunt et alia premia poetarum quibus ad presens pretermissis ad lauream venio. Laurea igitur et cesaribus et poetis debita est sertum ex frondibus laureis intextum licet poeticum illud interdum ex mirtho interdum ex edera fieret interdum . . .[2] simplici fieret quas omnes diversitates ego ipse in epistola quadam his duobus versiculis collegi. Nunc tamen et lauri mirtusque hedereque silentur sacraque temporibus debita vitta[3] tuis. Ne autem in longum progrediar ceteris post habitis conditiones lauri breviter perstringende sunt. Arbor imprimis hec odorifera est quod et sensus indicat et virgilius eneidos in VI.° inter odoratum lauri nemus et in bucholicis II^a^. egloga et vos et lauri carpam et te proxima mirte sic posite quando suaves miscetis odores. Hoc primum per quod odor bone fame potest imputari quam querunt cesares et poete ceterum et enim quod sicut ex anima et corpore constamus sic duplex querende glorie via et nobis parata est corporis

[1] Il cod.: *quam*.

[2] Qui il codice ha una lacuna: forse *quercu o olea*.

[3] Il cod.: *vita*.

s. atque animi licet dum in hac vita sumus alter alterius eget auxilio nec illud est dubium per priorem cesares per secundam poetas ad gloriam niti. Cum itaque diversis licet[1] itineribus eodem tendant utrique non inconvenienter unum utrisque primum preparatum est scilicet arboris odorifere odorem ut diximus bone fame atque glorie designant. Et preterea arbor hec umbrifera et quieti laborantium accommoda unde est illud oratii XLIIII[2] oda spissa ramis laurea fervidos excludet ictus solis et illud eiusdem oda XLVI[3] longaque fessum militia latus depone sub lauro mea, hoc secundum. Neque hec proprietas incongrue ad cesares refertur ac poetas ut illis post bellorum his pro laboribus studiorum requies promissa videatur. Aiunt arboris huius frondem sicut inaccessibilis est in se ipsa sic libros et res alias quibus adiuncta est a corruptione preservare quod singulariter poetis convenit quorum opera et propria et aliorum famam a corruptione defendi non ambigitur. Est insuper arbor sacra metuenda et venerabilis unde et virgilius eneidos in septimo Laurus erat tecti medio penetralibus altis[4] sacra comam multosque metu servata per annos, iusta quam aras erigere consueverant iusta illud II. eneidos Edibus in mediis

[1] *Licet*, è annotato in margine del codice.

[2] È l'ode che incomincia: "Jam pauca aratro iugera regiae.„

[3] È l'ode che incomincia: "O saepe mecum tempus in ultimum„.

[4] Il cod.: *aliis*.

nudoque sub etheris axe ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus incumbens[1] are, apta cultui sacrificantium unde eneidos tertio Phebique sacerdos victis et sacra redimitus tempora lauro et lucanus in VI°. Unde et thessalice veniunt ad phithia laurus. Ornamentum non templorum modo sed ipsius etiam capitolii lucanus in p°. sacras poscunt capitolia lauros. Dies me deficiet si singula prosequar et certe preter hec omnia similiter videtur laurus convenire cesaribus et poetis cum utrosque sacros appellari solitos possem mille autoritatibus ostendere nisi occurreret illud ciceronianum utitur in re certa testimoniis non necessariis. Super sunt tres adhuc nequaquam silende proprietates arboris memorate primo quod adhibita dormienti eius somnia vera facit per quod videtur poetis singulariter deberi quos aiunt somniare solitos in parnaso iusta illud persii Nec in bicipiti somniasse parnaso et reliqua. Hoc scilicet in tegumento ut in scripturis poetarum que non intelligentibus somnia videntur veritas contencta monstretur. Aiunt a capite eorum arbore que ut diximus somnia vera facit. Item alio respectu quia ut quantum futurorum prescientiam pollicetur apollini divinationis deo secundum eos appropriata videri potest propter quod et ab ipso fingitur adamata ut statim dicam. Cum ergo apollo poetarum deus haberetur minime mirum fuit poetas emeritos dei sui frondibus coronari cuius se auxilio fretos arbitrantur et quem deum ingenii nuncupabant. Secunda de tribus proprietatibus ultima

[1] Il cod.: *incubes*.

est arboris huius etherna viriditas de qua non inelegante ait quidam Sic hiems[1] laurum ledi nec rogus aurum . . .[2] per hoc pariter convenit utrisque s. cesaribus et poetis quia per immortalem propter quam similiter respectum[3] phebo dilecta phebo consecrata dicitur unde est illud in buccolicis O formose mirtus veneri sua laurea phebo, et illud eiusdem eneidos septimo Quam pater inventam primas dum conderet artes ipse ferebatur phebo sacrasse latinus, et hinc fabule locus fuit ut videlicet dapnem amaverit phebus, dapnes enim grece ut asserit uguccio latine laurus est que fabula apud ovidium plenissime legitur methamorphoseos p.[0] nec istud sine ratione a poetis fingitur quam vis enim arbor quelibet solis amica sit a quo omnis eius vegetatio et vita descendit illa tamen dignius quam singularis viriditas gratia decoravit dilecte titulum tenet et huius quidem viriditatis inmortalitas inmortalitatem tam bello quam ingenio quesiti nominis prefigurans causa fuisse potest cur hac potissimum[4] fronde et cesares coronarentur et poete. Tertia et ultima harum proprietatum est quia ut inter omnes convenit qui de naturis rerum scripserunt Arbor hec non fulminatur magnum et insigne privilegium et hec quoque ut sicut incepimus usque in finem procedamus occultior cerimonie

[1] Il cod.: *hiens.*

[2] Qui il codice ha una lacuna.

[3] Così il codice; forse: *per immortalitatem, propter quem similiter respectum.*

[4] Il cod.: *potissimus.*

causa fuit ut arbor[1] quod est enim in rebus humanis violentius fulmen quam temporis diuturnitas omnia consumens et opera et res mortalium et famam. Jure ergo contemptrice fulminis fronde coronantur hii quorum gloria[2] illam que more fulminis cuncta prosternit sola non metuit vetustatem. Audivistis causas que sine longa meditatione et velud ex tempore occurrerunt, quod autem ita se res habeat ut s. et cesares et poete hac fronde coronentur posset innumerabilibus testibus comprobari sed singuli singulis assertionibus sufficienter de cesaribus loquitur oratius XL.[3] oda cui laurus ethernos honores dalmatico peperit triumpho. De poetis statius thebaidorum. Tempus erit cum laurigero tua fortior ostro facta canam. De utrisque simul loquitur idem statius achilleidos cui gemine florent vatumque[4] ducumque certatim laurus. Et hec de laurea tam cesarea quam poetica dicta sint. Multa quidem adhuc et de primordiis poesis et de generibus ac diversitatibus poetarum et aliis circa hec cognitione pulcerrimis dicenda restarent sed quo maiorem attentionem vestram video eo mihi diligentius providendum est ne aut ipsam nimietate verborum forsitan interrumpam aut illa[5] in re offendam patientisssimas aures vestras.

[1] Dopo questa parola c'è evidente omissione.

[2] Il cod.: *gloriam.*

[3] È l'ode che incomincia: "Motum ex Metello consule civicum„.

[4] Il cod.: *natumque.*

[5] Il cod.: *illam.*

Finem igitur faciam hoc modo de primis duobus generibus premiorum utrum mihi possint contingere viderit deus et fortuna mea videritis et vos domini et amici mei viderint qui post vos nascentur quos spero certiorem de me et equiorem sententiam laturos quoniam ut ait tullius et sine amore et sine cupiditate et rursus sine odio et sine invidia iudicabunt. Tertium vero hoc est lauream poeticam qualitercunque succedat in reliquis suppliciter postulo de manibus vestris illustrissime senator cui super hoc porrecte sunt preces illustrissimi sicilie regis cuius quidem altissimo ac profundissimo iudicio approbatus sum licet indignus cui preterea secundum vetustissimam observantiam populi romani potestas ista commissa est.